

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Ioannes Lvdoovicvs vives

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOANNES LVDOVICVS VIVES

Philosophus.



*Per me, quam docui, Sapientia vivit: in illâ
Aeternum VIVIS vivit in orbe decus.*

M. D. XL.

IOANNES LVDOVICVS VI-
ves Valentinus, natione
Hispanus:

Sapientiae illius verae, non humanae solum, verum
etiam divinae in omni vita studiosissimus;
Quam & summam cum laude eloquentiae & virtutis
plurimum illustravit, lucubrationibus de ea
editis, & doctè profus, & accu-
rate conscriptis;

Probatus vir industria, patientia, labore, ani-
mi magnitudine:

Cuius immortalis famae gloria, idque merito,
quo ad sapientiae cultum, in omne
aevum vivet perpetuo:

Magno sui desiderio bonis omnibus relicto:
Obijt Brugis Flandrorum, Anno M. D. XLI.

GEORGII FABRICII.

*Iudicio VIVES, sermonis flumine Erasmus,
Doctrinae primas laude Budaens habet.*

F iij

IN IOAN. LVDOVICVM VIVEM
Valentinum Philosophum.

EPIGRAMMATA.

ANONYMI.

*Fortè puer latebris materna vbi prodijt alui,
Viues Puer, cecinisse olor Phæbo facer
Dicitur: haud casso fatus sic omine. Viuis
Nam clara fama viuet aeternum: Tethyn
Dum falsam auriferis vndis augebit Iberus,
Sapientie praecepta peruiuent tua.*

Perennat eruditio.

IOANNIS LAVTERBACHII.

Viuit superstes eruditus in libris.

*Hispana Viues clarissima gloria gentis,
Aonijs Viues fama que luxq; chori:
Multa reliquisti postquam monumenta superstes,
Ingenij multo parta labore tui:
Viuis, venturos vitæq; superstes in annos
Excultis viues clarus honore libris.
Viue diu, Viues, vitale superstes in aeuum,
Ingenij viuunt dum monumenta tui.
Non moritur, vita viuunt præsente superstes
Ingenij viuus per monumenta sui.*

IO AN. LVDOVICI VIVIS

Tumulus.

Hoc tegitur Viues tumulo, subsiste Viator:

Et presso pacis verba precare gradu.

Quin etiam costum, violas & thuris honores,

VIVI da promptâ debita dona manu.

Qui dum sic verbis rebusq; exornat ad vnguem:

Per non tentat as maxima quæque vias.

Nostra et as vincit veteres, at que omnibus illis

Viuem, quem contrâ ponere possit, habet.

*

Parca ferox Viui vellet dum scindere filum:

Hos capiti assisens edidit ore sonos:

Corpore te soluam: tua sed monumenta manebunt:

Namque horum potui iuris habere nihil.

*

Quis iacet hic? Viues: heu heu fata aspera, tantû

De tanto his etiam sumere Viue licet.

*

Doctrina columen, decusq; vita

Viuem, ne tumulo hoc put a Viator

Condi, sed tenues soli fauillas.

Nam non mors violenta, non edaces

Ignes, non series vetusta secli,

Non vires chalybis licet potentis,

Non fluctus pelagi licet ferocis,

De vitâ poterunt tulisse Viuem,

Doctrinae columen decusq; vitæ.

F iij